

« utilem et fructuosum esse debere, nobis super hoc humiliter supplicarunt, apud
« nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia
« et temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter comendati,
« certam notitiam non habentens, discretioni tue, per apostolica scripta mandamus
« quatenus de meritis et idoneitate predictis auctoritate nostra te diligenter in-
« formes, et si per informationem huiusmodi prefatum Iohannem alias ad regimen
« et gubernationem dicti monasterii utilem et idoneum esse reperiis, super quo
« tuam conscientiam oneramus, et ad id prefati Laurentii archiepiscopi expressus
« accedat assensus, aut alias si idem Laurentius archiepiscopus non consenserit,
« ut prefertur, ac eo et aliis qui evocandi sunt vocatis, sibi de hodierna de-
« tentione monasterii, cuius fructus, redditus, et proventus viginti florenorum auri
« de camera, secundum communem extimationem, valorem annum, ut ipse Iohan-
« nes asserit, non excedunt, sive alias quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque
« persona vacet, ipsiusque provisio ex quacumque causa ad Sedem Apostolicam
« specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore concessionis presentium
« eidem monasterio de abbate provisum canonice non existat, auctoritate predicta
« provideas, ipsumque illi reficias in abbatem, curam, regimen et admini-
« strationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie com-
« mittendo. Et nihilominus eidem fratri Iohanni, postquam de persona sua
« monasterium huiusmodi provideris, ut a quocumque maleret catholico antistite,
« gratiam et communionem Sedis Apostolice habente, munus benedictionis su-
« scipere valeat, ac dicto antistiti ut munus ipsum libere impendere sibi possit,
« eadem auctoritate concedas. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii pape, prede-
« cessoris nostri, illa presertim, qua cavetur ne quis extra suam civitatem et
« diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam, a fine
« sue diocesis evocetur, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac
« monasterii et ordinum predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel
« quacumque firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscum-
« que, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat,
« quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas
« non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huius-
« modi mentionem. Volumus autem quod prefatus antistes, postquam eidem
« Iohanni munus predictum impenderit, ab eo, nostro et Romane Ecclesie no-
« mine, fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam quam sub
« bulla nostra mittimus interclusam ac formam iuramenti, quod idem Iohannes
« tunc abbas prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo
« sigillo signatas quanto cicius destinare procuret. Et quod hoc archiepiscopo
« ladrensi pro tempore existenti, cui monasterium ipsum ordinario iure abesse
« dinoscitur, nullum in posterum preiudicium generetur, quodque etiam prefatus
« Iohannes postquam vigore presentium possessionem regiminis et administrationis